Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

equissimi iudicis. Non remanet in eis spes ille superbie ascendens semper in ardore sue malicie; quia magister ille malicie videntibus cunctis filiis gratie precipitabitur in abyssum gehenne. Timitum filiorum Israhel introitum; quia iste est continuus timor eorum, ne illuc introeant omnes electi, unde ipsi sue perfidie merito sunt exclusi. SEQUITUR.

EO TEMPORE ait dominus ad Iosue. Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israhel in colle preputiorum. Fecit quod iusserat dominus, et circumcidit filios Israhel in colle preputiorum. Hec autem causa est secunde circumcisionis. Omnis populus qui egressus est ex Egypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos vie circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissime solitudinis, incircumcisus fuit, donec consumerentur qui non audierant vocem domini, et quibus ante iuraverat ut ostenderet eis terram lacte et melle manantem. Horum filii successerunt in locum patrum, et circumcisi sunt ab Iosue; quia sicut nati fuerant in preputio erant, nec eos in via aliquis circumcidebat. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco donec sanarentur.

EO TEMPORE, quod nullo concluditur fine, ait dominus ad Iosue; quia deus pater loquitur filio suo in mundi consummatione. Fac tibi cultros lapideos, faciens omnes tuos electos spiritu et corpore eterne sapientie vivacitate acutos, in corpore sue humilitatis corpori tue claritatis configuratos. His cultris filios Israhel secundo circumcide, ac gemina anime et corporis vivacitate filios visionis eterne emunda secundo ab omni mortalitatis superfluitate. Prima enim circumcisio est prima anime resurrectio, que fit satisfactione malorum et emendatione morum. In colle preputiorum. Collis preputiorum est acies cordium humanorum. Sicut enim preputium ministrat semen propagationis, sic intentio cordis ministrat semen verbi et operationis. Fecit Iosue quod dominus iusserat; quia filius dei in electis suis perficit quod deus pater ab eterno preordinaverat. Filios Israhel in colle preputiorum circumcidit, quia electos suos omnes mundi cordes efficit, per quod eum eternaliter contueri possint. Hec autem causa est secunde circumcisionis, quia hec est ratio secunde regenerationis. Omnis populus generis masculini qui ex Egypto est egressus, fuit Adam ille protoplastus, qui ex Egypto est egressus quando de limo terre est formatus. Egyptus enim tenebre dicitur, et homo de limo terre formatus tenebris fuit coopertus, donec deo creatore spiraculum vite in faciem eius inspirante in animam viventem est vivificatus. Universi bellatores viri fuerunt illi parentes primi, qui ad bellum processerunt, cum maligni hostis impetum exceperunt. Qui in deserto sunt mortui, quia a creatore suo deserti merito peccati morti facti sunt obnoxii. Per longissimos vie circuitus, quos expulsi de amenis paradysi sedibus pertulerunt in erumpnosis mortalis vite anfractibus. Qui omnes circumcisi erant, quia primi illi parentes ab omni contagione culpe liberi creati fuerant. Populus autem qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissime solitudinis incircumcisus fuit. Populus qui in deserto est natus, est fidelium cetus, qui in huius seculi siccitate est procreatus. Quadraginta anni designant omne tempus huius seculi, quo per mortis supplicium afficitur omne genus humanum. Unde deus iratus in deserto loquitur ad gentem hebraicam: Quadraginta annis recipietis iniquitatem vestram. Quia enim homo ex quatuor elementis constat, qui sub decalogo militat, et quadraginta ex quatuor et decem multiplicantur, recte quadragenario numero omne presentis vite tempus designatur, quo innumeris laboribus humanum genus excruciatur. Unde bene dicitur: itineris latis